



ELOGIVM
DIVI AVGVSTINI:
VMBRA EIVSDEM.
TVMVLVS
NOVÆ DOCTRINÆ
EPITAPHIVM.
ET
ANTITHESES
CORNELII JANSENII
ET
DIVI AVGVSTINI.

Authore P. L.



Juxta Exemplar Parisijs cum Permissione impressum,
Nunc Herbipoli recusum, Anno M. DC. LV.

Prostat apud Ioannem Bencard Bibliopolam Academicum.



ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. PETRO SEGVIER,
GALLIÆ CANCELLARIO.



Mas politiores literas & privatus & publicus, Vir Illustrissime: eruditum est otium tuum, & negotia publica apud te semper fuere literata. Obsignas amorem tuum beneficiis erga Musas privatis & publicis. Cancellarius es doctarum artium, & nunquam hæc apud te sigilla cessant. Poscit sigillum & patrocinium tuum Libellus mole exiguus, at rerum Majestate magnus: uterque Augustinus verus & falsus, & magna & triusque volumina intra hunc Libellum sunt; nec Augustinus sine Prospéro, nec Prospérus sine Augustino esse potest, & uterque totus intra breves paginas est. Corrupit Augustini doctrinam Fansenius, & poëma Prospéri de ingratis parvus gratius poëta Gallicus: emendat poëtam Vmbra Augustini, & Elogium eiusdem Fansenio Tumulus & Epitaphium est; nec meretur agnomen Augustini, qui nihil Augustini habet nisi Antitheses. Mereris hoc nomen, SEGVIERI. dum proteges Augustini doctrinam, eris SEGVIERIVS Augustini, erit Augustinus SEGVIERII.

Erit

Magnitudinis Tuæ

Humillimus & obsequientissimus

Servus, P. L.





DIVI AVGVSTINI ELOGIVM.

Ngenium Augustini nemo totum novit, quia nemo & quavuit:
Ingenij sui limites Augustinus ipse nescivit:
Didicit Aristotelem sine Magistro;
Vix eum Aristoteles sine Doctore didicisset.
Exhaustis omnibus scientijs adhuc sciendi avidus,
Didicit errores Manichaorum ut haberet quod disseret:
Laudavit eos errores dum nescivit, refutavit dum didicit;
Et nondum fidei discipulus iam pugnauit pro fide,
Superata natura diu iustatus est cum gratia:
Experitus est se ab ea non cogidum diu restitit:
Nec violentus consensus fuit quem negavit dum voluit:
Agnovit tamen sufficientem fuisse gratiam quā potuit:
Non accusaret moras suas nisi properare posuisset:
Nec properare poterat nisi vires offraret gratia sufficiens, & nondum vincens.
Vicit tandem gratia efficax aut maior, aut aptior:
Sic delectavit ut fudderet, sic suauit ut non cogerer:
Recusare illam potuit etiam dum admisit:
Admisit illam voluntas libera, sed non sola:
Prævenit Gratia nolentem, & adiuvit volentem;
Incepit Deus sine Augustino, ut vellet Augustinus cum Deo.
Nec meruit Augustinus Gratiam qua fecit merentem.
Data est imerenti, nec quia bene de Gratia merituro.
Nemo acius Gratia restitit, nemo fortius pro Gratia stetit;
Mirata discipulum Gratia mutavit in Magistrum,
Docuitque artem viciendi adversarios, dum adversarium vicit.
Post eam victoriā nemo de Gratia differuit nisi verbis Augustini:
Didicit ab Augustino Roma quod iam à Deo didicerat;
Didicit à Roma Augustinus quod iam didicerat à Gratia,
Nec putavit se esse Dōborem Gratia nisi esset discipulus Romæ.
Errauit Pelagius dum aliter de Gracia sensit quam Augustinus;
Errat Iansenius dum Augustinum aliter intelligit quam Romæ credit.

VMBRA

VMBRA AVGVSTINI POEMA THEOLOGICVM.

Vmra Augustini terras irata reviso
Ius ultura meum, violatāq; Gratia mecum,
Lesaq; Libertas mecum redit: utraq; dicet
Doctrinam de utraq; meam: sciat Orbis oportet
Mentem Augustini: falsas Iansenius umbras
Supposuit mundo: verax ego corporis umbra
Atque animi docta umbra loquor.

L I B E R T A S.

Dic age Libertas quales tibi Gratia dotes
Et quales Natura dedit: Mihi tradidit, inquit,
Imperium Natura suum: me Gratia captar
Assensus studiosa mei: Deus ipse futuros
Arbitrij explorat natus, quid sola voluntas
Eligeret, si sola esset, dextramq; iuvantem,
Auxiliūque suum prævisi nutibus aptat,
Et nutus hos ipse facit: prævertit agenda,
Et mecum peragit: posset subducere dextram
Ne vellem, totā non posset cogere dextrā
Ut quod nolo velim: nolo quod nolo, voloq;
Quod volo: Reginam fecit qui condidit Author:
Nec Regina essem se cætra aliena gubernans.
Non essem Regina mei.

Non satis in laude dixi, suspendere possum
Et motus animi, & curas, & gaudia, & ipsum
Arbitrij imperium: dum sic suspensa quiesco
Tunc operor, pensq; expers opera laboro:
Et volo tunc aliquid dum nil volo: scilicet ut
Arbitrio dum nolo vici, & dum libera cesso
Me Dominam tunc esse probo.

Plus aliquid dico, possum contraria velle,
Et mortem vitamq; sequi: nocet ignibus unda,
Et nocet ignis aquis, neuter mihi noxius hostis,
Hostis uterq; sibi: mendax me sepe fecellit
Umbra boni, sepe umbra mali, neutra umbra coëgit
Arbitrium violenta meum: non si omnia sceptræ
Promittas Dæmon, non si omnia dum minetur,
Invitam vis nulla rapit, nolensque volensque
Sum iuris regina mei: falli Eva volebat,
Et fraudi consensit Adam: si velles uterque,
Staret uterque horti Dominus, fortunaque mundi
Staret adhuc, serpens terram mordere & Orcum.
Mortalisq; satur vita succederet astris.

Quid vide-
at Deus in
voluntate
operabun-
da.

Libertas
contradi-
ctionis.

Libertas
Contradic-
tatis.

Non unquam moriaturus Adam : damnable pomum
Gustavit Pater, & nati sensere venenum.
Dum tamen hac est & vicia est humana voluntas,
Libertas invicta letit, lassisq; Parentis
Arbitrium in mediis tenuit sua iura ruinis,
Exul Adam, liberq; fuit, miseriq; Nepotes,
Et reges mansere fui.

Gratia alli- Denique sepe vocat blandis me Gratia verbis,
cit volun- Et sepe illecebris vietiam trahit ire volentem,
tatem, non Si vellem nullis traheret me Gratia vincis,
rapit. Et sepe excussi nexus ut sponte perirem
In damnum generosameum : sum causa ruina
Sola mea: nec sola tamen sum causa salutis,
Intus agit, spiratq; Deus, sequor ipsa vocantem
Non preverio Deum: sic nobilis Aeris hospes
Ales Apis sola ex patriis delabitur auris,
Descenfum natura iuvat, pennaq; ministrant,
At revocare gradum, & patrio ferreddere Caelo
Sola nequit volucris, zephyrosq; expeditat & auras,
Supplementemq; pedes flatum, remissq; repandis
Alarum captat flatus, aurasq; invanies,
Et reducem Caelo facit ales & aura volatum.
Sic ego non sola alarum virtute resurgo:
Et sola virtute cado.

GRATIA VNIVERSIM.

Tu quoque diuinam enarras Gratia dotes,
Et vires adscribe tuas: Mibi Spiritus, inquit,
Est Pater, hic gemino postremus origine punto
Accipit exhaustum Deitatem, & Numinis pleno
Cui spirat similem non invenit intus Amorem;
Hunc ego focundum facio, spirataque dicor
Gratia, communis quamvis inspirat amore,
Et totus sit causa Deus.

Causa me- Altera causa mei Christus, meme ille refecit
titiora. Dum meruit, meritamque humano reddidit orbi.
Coniugibus Mundi primis, & Regibus orbis
Me Deus eterni pignus donavit amoris,
Heredesq; suis fecit, dum fædere pacto
Heredes dedit esse mei; si pacta fideles
Servassent, proli fieram promissa futura
Heredes factura Deos; peccavit Adamus,
Et gravida gestans in liberitate futuram
Progeniem, inclusos hoc lexit vulnera natos,
Quo Patri nocuit, crimenq; vocatur origo,
Et scelus est hominem nasci: miseratus Adamum
Alter Adam lexit reparavit iura Parentis,
Et verbo carni unito, carnemque redemit,
Placavitq; Deum Deus: huius fædere pacis

Reddit a sum terris, duplexque amissa parenti
Refutuor terris duplex, pars altera nostri
Est habitus, figuraque gradum, crescatque merendo,
Haredemque animum dñi vno Numine complens
Penè hominem facit esse Deum; pars altera lux est,
Et radius, qui præveniens, comitansque, sequensque
Excitat humanam mentem, attollitque iuvando.

Ac velut exundans imber per vadit hiantem
Terra uterum, penetratque sinus, siccásque medullas,
Et sterilem compleat fœcundo semine vulcam;
Tellurémque facit Matrem, si fertilis imbri
Succedat solis radius, qui semen albumnum
Exciter, & vires addens per hiantia claustra
Impellat, trudatque foras; sic Gratia menti
Et calor, & pluvia est, libertatémque parentem
Prolifacit divinam, & Cœli iura merentem.
Hic meus in terras redditus; narrare labores,
Et pugnas atque armas placet, victique triumphos:
Humani arbitrij, vincit dum vincitur à me,
Dum superat cadit, & gemina si cana ruina,
Et me dum perimit, mecum perit.

GRATIA SVFFICIENS.

Principiò nulli mortali Gratia desum
Sufficiens, emit toto me sanguine Christus,
Et mundo est satis ille crux; fons esset avarus
Si fluoret paucis, & sufficit omnibus unda;
Et nulli se lympha negat:
Vult omnes servare Deus, nullique paravit
Poenas ante scelus, præcessit Olympus Avernus,
Vltorémque Deum miserans Deus; at quis Olympi
Sperer iter, tentaque gradum si Gratia desit
Sufficiens, spiransque animos, viresque ministrans,
Et faciens monstransque viam?

Nec justas homini poenas Deus inferet vitor,
Quod peccet qui stare nequit; nec iusta iubebit,
Si superent iussa arbitrium, nec Gratia vires
Sufficiat, tendatque manum, & comiteretur euntem.
Et jussum moderetur iter. Sic Alitus infans
Fulminei, nondum instrutus vibrantibus aliis
Prodire ex nidó nequit, & pendente cubili,
Nipater exponat Caelo, attollatque volantem,
Solidisque opponat radius, nidóque reportet
Infantem, & socias infirmo commodet alas;
Nisi facias sceptro innocuus privabitur heres,
Et fiet iactura Patriis.

Hic meus ille labor libertati addere vires
Ut possit si velle velit: nec me ista gravaret
Cura ministerij, si prompta audiire voluntas

Gratia ha-
bitualis.

Gratia
actualis.

Datur om-
nibus.

Prima ra-
tio.

Secunda
ratio.

Tertia ra-
tio.

Coparatio-

Officia gra-
tia suffici-
entis.

Vellet

Vellet iussa sequi, sed saepe oblitus salutis,
Sepem memor ridet nutus & verba monentis;
O quoties monui errantem, blandaque prehensam
Restitu, quoties stimulis, frangaque momordi;
At quoties Domino arbitrio frangoque voracit,
Et mortem criminque bibit!

Christus
pro omni-
bus mor-
tuus.
Quis numeret quot probra tuli, turpique repulsas,
Nec tamen ab fini monitis, imitatique Christum
Morte suam complexum omnes, nullique negantem
Et vita & mortis meritum? sic omnibus ipsa
Auxilium virisque novas inspiro, libenque
Tot mories quo probra fero.

GRATIA EFFICAX.

At semper virides effectrix Gratia lauros,
Et palmas inicitatuli, nunquam obstitit hostis.
Et semper poruit, sua vulnera latus amavit,
Et latit voluit, poterat si vincere vellet.
Effeci ut vinci malle, vicique volentem.

Industria
Gratiæ effi-
cacia.
Quas autem insidias, cassisque, hamisque retendi
Arbitrio ut falli vellet, neque falleret hamum
Quem semper nudum expoñi, ne caca voluntas
Eligeret quod non videt, affectisque coacto
Libertas, & amor caco raperetur amore,
Et vellet quod nollet amans.

Propterea explorat nutus, flexisque, recessisque
Humani arbitrij, quid amet, quid vellet amare,
Quid cupiat dum nil cupit, affectisque futuros
A spicio monstrante Deo, & pendentia vota,
Et libertatem volitaram reddo volentem,
Dum prece, nutumque sequor, nec cogitur ire
Libertas qua sponte venit, nec lattea verba,
Et molles aditus, & congrua tempora fundi
Arbitrium cogunt; prævidi pondera, nutusque
Et vacuos nudosque sinus; & amabile semen

Initio, quo sponte suâ gravida voluntas
Communes mecum factus parit: ac volut arcem
Providus explorat ductor, quâ parte struendus
Agger erit, quâ parte eludet verbera murus,
Admittit etne globos, ubi subterranea fossa
Pulverem excipiet semen, quo vulnere flamme
Erumpent, fractaque voment ad sydere turrem;
Plura quoque explorat ductor, curâque sagaci
Ante capit capiendum arcem; sic Gratia victrix
Arbitrij nutus, atque hoc discrimine capto,
Obideo volitaram arcem, expugnoque volentem.

Non tales Salomon artes describit amandi,
Nec tales sponsa & sponsus meditantur amores;
Has ego dictavi in fidias, & cantica scripte,
Et nosfer cantatur amor.

COPARATIO.

Canticum
gratiæ.

V M B R A.

Concordia gratiæ & liberi arbitrii.

Hac ego de vobis sensi, & concordia vestri
Vna mihi doctrina fuit, gerit utraq[ue] sceptrum,
Vtique imperium servavi, & iura corona,
Et fines utraq[ue] suos, nec Gratia vicit
Arbitrij regnum minuit, nec vicia voluntas
Imperi iura amittit, communibus armis
Vincitis, & palmarum vicitrix & vicia mereetur.
O bellum superis dignum! o concordia felix!
Et gemini pugnant hostes, & uterque triumphat,
Et palmarum superatus habet; nec Gratia tantum
Efficiens addit robur, dextrâque invantem,
Ipse etiam vires inspirat, & arma ministras
Gratia sufficiens, possitque adiuta voluntas
Vincere si vinci vellet; nec defuit Eva
Sufficiens virtus, ementiti or a revelans
Serpantis, fidicisque sonos, & callida verba,
Et poterat pomum ridere, desique futuros,
Et vicitrix Deva instar erat, tentavit Adamum
Promissa in pomo Deitas, & Gratia fraudes
Explicit, virisque latens, sed fæmina uicit,
Et peior serpente fuit; sic Gratia semper
Efficiens vincit, sic semper vincere posset
Gratia sufficiens; quid semper fertilis illa.
Hoc semper steriles: sterilem facit una voluntas,
Fœundam non una facit.

Hac ego dum docui, quis nunc Iansenius audet
Doctrinam violare meam, cur rumpere nomen;
Partiri que fidem? scripsit quod Roma probavit,
Et damnò quod Roma negat. Cur querit amicum
Ipra Augustinum, si Roma opponit Xpram?
Aut Xram nisi Roma probat, fravis ista, dolisque est,
Velle Augustinum Authorem ne sensiat hostem.
Quid mihi cum monstris fidei, qui monstris subegi?
Antiqua, & monstris indixi bella futuris,
Venturisque hostes vici presentibus armis,
Vincendique artem docui cessate Lutheri,
Calvini, Bezaque novi prætexere nomen
Doctrinamque meam, nec diligit barefum umbra,
Arque umbram timet illa meam: dicit Gratia vicitrix,
Tu quoque Libertas, an verum dixerit Vmbra?

GRATIA & LIBERTAS

Dixisti que nra oculis sine nube beatis
In Verbo splendere vides, speculumque tueris,
Monstrans emque Deum speculum.

Concordia

Vtique
gratiæ dat
vires ad
agendum.

Cur gratia
sufficiens
caret ef-
fectu.

TVMV.

TVMVLVS NOVÆ DOCTRINÆ.

SAt vixit quæ vivere nunquam debuit Nova Doctrina: meretur Tumulum quæ cunas non meruit; fallor nec tumulo digna est cuius vix superest cinis qui tegi possit. Fabula est dum moritur quæ dum vixit somnum fuit; mentita est, fefellit, illusit; tam diu vixit quamdiu mentiri potuit; & nunc dum cessat fallere cessat esse.

Volita vit aliquandiu per ora indoctorum virorum, & doctrarum mulierum: rapuit illos novitas, & istas levitatis; fefellit omnes Augustinus etiam falsus; nemo sub eo Magistro errare timuit, cuius ipsum etiam nomen credebatur expers erroris; fecit fidem Augustinus etiā dum fefellit, placuit sub eo nomine falsitas sub quo dispergere debuerat.

Pōst alias admirationes vocata ad examen Nova Doctrina, deprehensa est de honestate Naturam cum iniuria Creatoris, dedecorate Gratiam cum opprobrio Servatoris, corrumpere Libertatem cum detrimento hominis, excusare peccatum necessitate peccandi, extinguere amorem Virtutis, difficultate meriti, reddere Christum omnibus odiosum, dum negat pro oneribus mortuum.

Hæc erant sex Fundamenta novæ doctrinæ. Ac primum quidem Fund, quæ parvum solidum, non potuisse hominem creatum statu naturæ puræ, & excidisse libertate in statu naturæ lapsæ, quæ praestabat in statu naturæ integræ. At hæc quæritur! potuit certè Deus creare hominem cum naturæ pœtræ, & sine gratia, si hæc supponit hominem & non facit, accepisset in eo statu naturam humanam non divinam: fuisse sine gratia nec tamen ingratus: fuisse purus, nec tamen malus: fuisse cum naturæ puræ liber ad bonum, quiccum naturæ sanæ liber fuit ad malum. Nec tamen amissit liberum arbitrium dum cecidit, amisit privilegia gratia non dotes nature, retinuit libertatem dum retinuit hominem; addidit naturam puram cui addidit culpam, accepisset illam bonam purum, corruptit illam lapsus; stetit tamen homo liber sed miser, manxit servus peccati & Dominus fui.

Nec alterum Fundamentum solidius, nullam darri gratiam sufficientem naturæ lapsæ, quæ plurima dabatur naturæ integræ: omnem gratiam esse effectricem, atque omnem inferre necessitatem: at hæc quæm in iuriosa Gratia & naturæ! Clamat gratiam sufficientem omnis Scriptura, confirmat illam omnis Authoritas, implorat illam omnem necessitas, emit illam omnibus Christus, dar illam omnibus misericors Deus, ne largitur inutili si possum reddere effectricem. Audi Augustinum, presto est semper gratia quæ nunquam deficit nisi prius expulsa fuerit, continuò inspirat si est qui recipiat: Audi eundem, de eo quod non accepit nemo reus est, ex eo vero quod non facit si debet reus est, debet autem si accepit & voluntatem liberam, & sufficientissimum facultatem: nec Gratia effectrix imponit necessitatem voluntati, reveretur libertatem hominis quasi imaginem Dei: explorat illam ne illam lœdat, agit sine me ut mecum magat: imprimis motus necessarios, ut obtineat liberos: sic allicit arbitrium ut non invadat: sic petit assensum, ut non eripiat: sic blanditur suaviter ut non dominetur tyrannice: sic prævenit voluntatem ut attrahat, sic oblectat ut vincat, sic vineat ut illam non cogat: Audi Augustinum, viscidre quomodo trahat Pater! trahit oblectando voluntatem, non impendo necessitatem.

Ac tertium Fundamentum quæm funestum libertati, dum illam necessitatem de ruit admixtione necessitatis? ruit enim vero libertas si illam antecedit necessitas: fecit Deus

Deus voluntatem dominam sui, dum fecit liberam, at non erit domina sui, si necessariò agit: eligere potest aquam si velit, aut ignem si malit, at nemo eligit quod necessariò diligit: elicere potest actus suos aut suspendere: at nemo suspendere potest quod necessariò exhibet: plus aliquid dicit libertas quam voluntas; beati voluntarie Deum amant non liberè: Itate potest necessitas cum voluntate non cum libertate. Audi Augustinum, sed cum potestas datur, non utique necessitas impunitur, unde cum David Saul posset occidere, maluit parcere quam ferire.

Peccat in quarto Fundamento Iansenius, dum ait peccatum posse esse necessarium. Non peccasset Iansenius, si id necessariò dixisset, peccauit dum dixit liberè: nemo mentiti necessariò potest, idcirco enim aliquis mentitur, quia suppressit verum sensum, & falsum exprimit; At nunquam lingua menti dissentit, si illam mens necessariò abriperet: nec mendacium tantum, sed omne peccatum adeo liberum esse deberet ex Augustino, ut nullo modo sit peccatum nisi sit liberum: Nemo necessitate peccat si excipiatis peccatum originis, quod tamen in Liberis non est peccatum, nisi in Parente fuisse liberum. Quoad cæteras culpas nemo apud Deum reus est nisi volens; nemo de eo damnatur quod vitare non potest: iniquus esset justissimus Deus si puniret necessitate peccantem.

Qui peccato viam aperuit dum necessarium fecit, idem ut virtutem reddat exosam, facit imperviam: negat illum opus esse bonum nisi fiat propter Deum gratis & purè dilectum, ô hominem exquisitæ puritatis! negat illum florem esse pulchrum nisi sit lumen, negat illum metallum esse verum nisi sit aurum, negat illum stellam esse spectabilem præter solem, Hallucinans Iansenius! eximia virtus est Charitas, sed non sola, pretiosi sunt actus Charitatis sed noui soli: Et fides, & spes, & religio, & fortitudo, & temperantia, & justitia virtutes sunt, licet inferiores Charitate. Alioqui peccauit Abraham dum credit, Moses dum speravit, Melchisedech dum panem & vinum obtulit, Joseph dum abstinenter fuit, David dum fortiter vicit, Solomon dum justitiam exercuit, Imo & laudem suam merentur Virtutes puræ morales & nondum diuinæ, laudauit Augustinus in Romanis virtutes humanas & nondum Christianas.

At sextum Fundamentum quam odiosum, dum ait Deum reprobare homines ante demerita, & Christum patitorum esse Seruatorem non omnium! Quis enim illum amerit à quo putat electum se ad peccatas, depuratum ad supplicia, reprobatum nondum reum, nec creatum alium ob finem nisi ut furoris diuini æternæ satietas fiat? Et quis eum Seruatorem non oderit qui assumptus humanam naturam & neglexit meam, qui pro aliis vixit & me exclusit, qui diuisit paucis sanguinem suum, & nullam partem pretij infiniti reservavit mihi? O doctrinam ipsius etiam auribus odiosam! ingenerat hæc opinio neglegentium salutem, quid enim superest nisi ut negligat salutem, qui desperrat Seruatorem?

Hæc ferdunt Fundamenta novæ Doctrinæ, atque hæc omnia prætexuntur nomine Augustini, ut credulos animos fallat maiestas Augustini, quos non fefellisset auctoritas Iansenij: latet sub eo nomine novus Doctor quasi sub annulo Gygis, videret & non videtur, sentitur & nescitur, lœdit & non lœdatur: & fuit tempus cum eruditis homines veriti sunt damnare Iansenium ne accusarent Augustinum.

Denique fracto annulo Gygis apparuit velum Augustini, & vultus Iansenij, nihil horridius eo vultu dum aspectus est solus: nihil habet Augustini nisi nomen, nec tamen miseri debuerunt antitheta nomina, monstrum facit qui diversa coniungit: placet alterum alteri opponere: mihiaberis Antitheles utriusque, & dices Iansenium non esse Echonem Augustini dum opposita dicit: appellarem geminos polos si utrumque communis axis conjungeret; dicere Iansenium Antipodem Augustini nisi Augustinus.

12

nus negaret Antipodes; quod affirmat Iansenius, hoc negat Augustinus, aut non intellexit Magistrum indoctus discipulus, aut corrupit ingratu.

Repudiata ab Augustino nova Doctrina languere paulatim & mori coepit: ac velut Iris admirationem habendum illam sol aspicit, at si sol cessat aspicere, cessat esse, & quæ ante aspectum vapor erat post aspectum fit nebula; sic nova Doctrina sub Augustini nomine olim spectabilis, ab Augustino despacta evanescit, & quæ mendacium erat, fit fabula: Et nunc accusant illam Illusterrimi Praefules, damnant eruditæ Academæ, exercentur religiosi Ordines, Hæresibus accenseret Sedes Apostolica. Si qui eam adhuc privatim retinent, retinenter ipsi extorti pudore non amore doctrinæ, & ne videantur errasse adhuc errant.

Huic ego mortibundæ Doctrinæ Tumulum pono, & Epitaphium.

STA VIATOR VBI STETIT IANSENIUS.

Hic jacet nova Doctrina,
Idcirco falsa quia de Deo nova,
Deus ipse esset falsus
Si posset esse novus,
De naturâ purâ minus sane,
De naturâ sanâ minus pure,
De lapsâ minus recte sensu.

Post columnias Naturæ non pepercit Gratia,
Ut neget Gratiam sufficientem singit inurilem,
Ut destruat efficacem facit crudelēm.
Ut evertat liberum arbitrium facit captivum,
Ut corrumpat bona opera, corrumpit merita,
Ut excusat peccatum facit necessarium,
Ut reddat Christum odiosum negat pro omnibus mortuus.

ABI VIATOR,

Et si amas Augustinum, fuge Iansenium.
Non est Augustinus qui nihil habet Augustum.

THE-

13

THESES CORNELII JANSENII. ANTITHESSES DIVI AVGUSTINI.

Thesis Prima.

DE GRATIA SVFFICIENTI.



Vapropter sufficientem illam gratiam, quam Scholastici multi in Theologiam velut adiutorium Salvatoris intulerunt, ab Augustino destractam, funditusque eversam esse libens fateor. Iansen. l. 3, de grat. Chr. c. 1.

Antithesis.

Ex eo igitur quod non accepit nullus reus est, ex eo vero quod non facit quod debet, justè reus est; debet autem si accepit voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem. August. lib. 3, de lib. arb. c. 16.

Per sufficientissimam facultatem non potest intelligi hoc loco voluntas libera, quia Augustinus illam distinguit à facultate, nec potest intelligi gratia efficax, quia cum illa voluntas facit quod debet, ergo intelligitur gratia sufficiens, ergo illam agnoscit Augustinus non destruit.

Thesis 2.

Nullum igitur jam dari hominibus lapsi adiutorium sufficiens, quin sit simul efficax, in Augustini principijs exploratum est. Iansen. l. 3, de grat. Ch. c. 1.

Antithesis.

Ex duobus ætate jam grandibus curistè ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. August. l. 2, de Persev. Sanct. c. 9.

Gratia qua ita vocat ut vocatus sequatur, est efficax: qua vocat sed non ita, est sufficiens tantum. Vtramque hoc loco agnoscit Augustinus. Ergo ex Augustini principijs datur Gratia sufficiens qua non est efficax.

Thesis 3.

Nam & Gratia Christi ab Augustino prædicta sufficientiam donat, non ab alijs tamen distinctam. Iansen. l. 3, de grat. Ch. c. 1.

Antithesis.

Habet (baptizatus concupiscentiam) cum quâ pugnet, etiamque adiuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam Dei suscepit, si reprobus esse noluerit. August. l. 1, de peccat. mer. & remiss. c. vlt.

B 3

Gratia

*Gratia qua in vacuum suscipitur dat sufficientiam, & caret effectu, ergo ex Augustino
Gratia dat aliquando sufficientiam ab actu distinctam.*

Thesis 4.

Hæc ergo quia vidit Augustinus, ideo nunquam amplius istius adiutorij sufficientis tanquam reparatori post casum hominis meminit. Iansen. l. 3. de grat. Ch. c. 2.
Antithesis.

Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus, multi enim sunt vocati, pauci vero electi, vtique iij qui vocantem non contemperunt, sed credendo fecerunt. Aug. l. 1. ad Simplic. quest. 2.

Ad illam coenam in Evangelio præparatam nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt venire possent, nisi vocarentur; Itaque neque illi debent tribuere qui venerunt, neque illi qui venire noluerunt, debent alteri tribuere sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati in eorum erat potestate. August. l. 83 quest. 68.

Gratia qua quis vocatus credit est interna & efficax, quæ vero vocatus non credit est sufficiens tantum.

Gratia quæ quis venit ad coenam Evangelicam est efficax, quæ vero quis venire potest, & non venit est tantum sufficiens, atque hac gratia erat reparatoria si voluntas consenseret; at Augustinus meminit huius gratia ut patet ex locis supradictis, quæ non retrahavit, ergo, &c.

Thesis 5.

Hinc vterius docet Augustinus, nullam gratiam effectu operis ad quem efficiendum voluntatis datur, illâ voluntatis pervicaciam frustrari, frangit enim ante omnia in ipsam voluntatis pervicaciam per quam effectus eius impediretur, atque ita quando cunque largitur gratiam suam, simul dar incrementum Deus, ipsa quippe gratia infundit incrementi donatio. Iansen. lib. 3. de grat. Christi c. 4.
Antithesis.

Gratiam Dei suscipiunt sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt, & deferrunt, & dimisi enim sunt libero arbitrio non accepto perseverantia dono, iudicio Dei justi & occulti. August. de corrept. & grat. cap. 13.

Augustinus hoc loco loquitur de gratia actuali, quia de ea erat questione cum Adrumetino, nec gratia efficax deseritur licet possit deseriri, ergo datur sufficiens quæ deseratur, & dum deseritur frustratur effectu suo, nec frangit pervicaciam voluntatis, nec eius donatio, eis incrementi insuffit: ergo Iansenius contradicit Augustino.

Thesis 6.

Nimirum vidit consequenter Augustinus hoc adiutorij genus jam esse prouersus in utili laporum reparationi, vel operationibus, etiam ad sexcentos sufficientiae gradus augeretur. Iansen. l. 3. de grat. Ch. c. 3. & c. 4. vocat eam gratiam monstrosum.

Antithesis.

Sicutem jam regeneratus & justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere non accepi, quia acceperat gratiam Dei suo in malum liberum arbitrio. Et paulo post addit, au adhuc & iste nolens corripi potest dicere, quid recept. & grat. c. 6.

Hæc gratia non est inutilis, nec monstrosa ex parte hominis, cui si homo consentire vellet, non rebiceret in malam vitam, nec amitteret acceptam iustitiam: Neque est inutilis & ex parte Dei, cuius providentiam exensat, largientem auxilia sufficientia si homo ipsi uti velit. Loqui autem Augustinum de gratia actuali ex eo probatur quia Adrumetinus.

Thesis 7.

Sic ute in talia sufficientia adiutoria non dantur omnibus, immo nulla omnino post lapsum sunt, ita nec datur voluntas illa generalis ex qua promanare dicuntur, Ian- sen. l. 10. de grat. Gh. c. 2.

Antithesis.

Cum verò ubique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adiuvet, exaudiat deprecantem, non tibi imputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis querere quod ignoras, &c. Et addit, ita exhortatus sum quantum potui ad recte vivendum, & gratiam Dei non euacuavi, sine qua natura humana jam contenebrata & vitiata illuminari non potest & sanari. August. de nat. & grat. c. 67.

Hoc loco Augustinus loquitur de natura laesa, nec loquitur de sola gratia externa, quia hec solo, nec bene vocat, nec bene docet, nec bene consolatur sperantem, nec bene adhortatur diligenter, nec bene adiuvat conantem, nec bene exaudit deprecantem. Neque hic locus potest intelligi de sola gratia interna efficaci, quia hec non ubique, nec semper, nec omnibus datur, ergo intelligitur de gratia sufficienti qua datur omnibus adultis, neque Augustinus retractatur inquam hunc locum.

Thesis 8.

Infideles carent gratia sufficienti ad salutem proximam quam remota, & omnibus principiis eius. Iansen. l. 3. de grat. Ch. c. 11. Est titulus cap.

Antithesis.

Infideles contra voluntatem Dei faciunt cum Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, verum scilicet fraudant magno & summo bono, malisque penitentiis implicant, experti in suppliciis potestate eius, cuius in donis misericordiam contempserunt. August. l. de spir. & lit. c. 33.

Non faciunt contra Dei voluntatem si non possunt credere: non possunt si carent gratia sufficienti tam proximam quam remota, & contemptus misericordia in donis non est sine contemptu gratia.

Thesis 9.

Quidquid nec ipse Divus Thomas aut illius antiquorum Patrum inter ipsum, & D. Augustinum, vel illius vetustorum Scholasticorum istius gratia sufficientis meminit. Iansen. l. 3. de grat. Ch. c. 11.

Antithesis.

Ad 2. dicendum est quod gratia novi testamenti adiuvat hominem ad non peccandum, non ramea ita confirmat in bono ut homo peccare non possit, hoc enim pertinet ad statum gloriae, & ideo si quis post acceptam gratiam novi testamenti peccaverit, maiori poena est dignus, tanquam maioribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non vult, nec tamen propter hoc dicitur, quod lex nova iram operatur, quia quantum est de se, sufficientis auxiliis dat ad non peccandum. D. Thom. l. 2. quest. 106. art. 2. ad 2.

Hic locus non potest intelligi de sola gratia externa, quia hec sola non adiuvat sufficientem & efficaciter ad non peccandum, nec potest intelligi de sola gratia interna efficaci, quia eo auxilio dum datur nemo non uitetur, ergo prater gratiam efficacem D. Thomas agnoscit sufficientem.

Deus vult omnes homines salvare, quantum ex parte sui, voluntate antecedente, pro quibus dedit adiutoria in communia sufficientia ad salutem. Scotus in 1. distinc. 4. quest. un. ad pri-

ad primum arg. Neque hic locus potest intelligi de sola gratia externa, quia hoc sola non sufficit ad salutem.

Thesis 10.

AD HVC DE GRATIA SVFFICIENTI ET EFFICACI.

Gratia sanæ voluntatis in eius libero arbitrio relinquatur, ut eam si vellet defereret, aut si vellet deseretur: gratia vero lapsæ, ægrotaque voluntatis nullo modo in eius relinquitur arbitrio, ut eam deserat, aut arripiat si voluerit. Iansen. l. 2. de grat. Ch. c. 4.

In omnibus misericordia eius preuenit nos, consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire propria voluntatis est. August. l. de spir. & lit. c. 34.

Dissentire vocationi est eam deserere, consentire est eam arripere, utrumque relinquatur arbitrio voluntatis lapsæ, de ea agit Augustinus, ergo &c.

Thesis 11.

Nullum adiutorium cuius usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo vtratur aut non vtratur, vt illud amplectatur aut deserat, ut illi consentiat aut non consentiat si voluerit, ad medicinale adiutorium Christi pertinet, sed ad adiutorium primi hominis & sanæ voluntatis referendum est. Iansen. l. 2. de grat. Ch. c. 5.

Antithesis.

Visorum suasionibus agit Deus ut velimus & ut credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, &c. Sive intrinsecus vbi nemo habet in potestate quid eveniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est. August. lib. de spir. & lit. c. 34.

Augustinus loquitur de gratia medicinali, ut patet ex verbis (per Evangelicas exhortationes) &c. tamen aut voluntatem posse consentire, vel dissentire: ergo adiutorium medicinae non excludit indifferentiam voluntatis.

Thesis 12.

Adiutorium Dei ante ruinam erat tale, ut eius influxus ab ipso liberæ voluntatis nutu penderet, adeoque salva maneret illa voluntatis in utramque partem flexibilis in differentia, nunc vero post ruinam tale est ut faciat annuere, & influere, & velle voluntatem: & paulò post addit; nec facultatis ipsius liberæ arbitrii subiacet, & mox adiungit, talis est influxus omnis causæ formalis, hoc ipso quippe quod adest justitia fit justus apimus. Iansen. l. 2. de grat. Ch. c. 4.

Antithesis.

Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis preparatur voluntas a Domiuo. August. l. 1. de Praedest. Sanct. c. 5.

Possit credere vel non credere est libertas contradictionis & indifferentis, at voluntas etiam habens gratiam preparantem potest credere vel non credere, ergo post ruinam manet flexibilis indifferentia voluntatis.

Influxus causa formalis est absolute necessarius, non est ad actum & non actum, non est activus, ergo influxus gratia non est talis.

Thesis 13.

Augustinus, & Concilia docent per illud Christi adiutorium Deum facere ut arbitrium velit, ut consentiat, ut operetur, nunquam autem vel leviter insinuat, sed potius expressis verbis negat in hominibus voluntate relinquere ut illud amplectatur aut deferset, Iansen. l. 2. de grat. Ch. c. 14.

Antithesis.

Declarat præterea (Sancta Synodus Tridentina Sess. 6. c. f.) Iustificationis ordinum in adultis à Dei per Christum Iesum præveniente gratiâ sumendum esse, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per eius excitantem atque adjuvantem gratiam eidem gratiæ libere assentendo & cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiçere potest, neque tamen sine gratia Dei move se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit.

Et Can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad iustificationis gratiam se disponat & præparet, neque dissentire posse si velit, anathema sit.

Possit abiçere gratiam, posse dissentire si voluntas hominis lapsi velit, est posse amplecti, non deserere gratiam: at Concilium Tridentinum dicit voluntatem posse abiçere gratiam, & posse dissentire, ergo, &c. Demente Augustini constat ex supradictis, & postea dicendis.

Thesis 14.

Verum, & genuinum discriberem inter veriusque status adiutorium est, quod adiutorium sanitatis influeret aut non influeret cum voluntate, prout voluntas vellit aut nollet, plenissimeque ipsius arbitrio in agendo & quiete subderetur, medicinale vero ipsum bene velle fastidienti, ægrotaque voluntati tribuat. Iansen. l. 2. de grat. Christi c. 4.

Antithesis.

Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur, & in alijs quibus dicit, rogo vos ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis, ut quid enim eos rogat, si gratiam Dei sic suscepint ut propriam perderent voluntatem? August. de grat. & lib. arb. c. 5.

Vix argumenti in eo est, frustra Apostolus rogat ne in vacuum gratiam Dei suscipiant, si influxus gratia nullo modo pendet à voluntate, si voluntas non potest abiçere gratiam, neque ei resistere. At ex Iansenio non potest, potest autem ex Apostolo & Augustino, ergo, &c.

Thesis 15.

Adiutorium (cui voluntas potest resistere) est adiutorium quod Massilienses ad credendum necessarium est, atque ita sufficere statuerunt, ut cum eo credere posset homo si vellit, qui tamen tanquam heretici proscripti sunt, non aliam sane ob causam nisi quia tale auxilium homini sufficere putarent. Iansen. l. 2. de grat. Ch. c. 1.

Antithesis.

Sed iij qui solum initium fidei, & vsque in finem perseverantiam sic in nostra constituant potestate, ut dona Dei esse non putent, neque ad hanc tribuenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes, & voluntates, cetera vero ipsum dare contendunt cum ab illo impetrantur credentis fidei. August. l. de Praedest. Sanct. c. 17.

Vides in quo essent heretici, quia scilicet afferebant initium fidei, & perseverantiam esse à nobis, neque esse dona Dei, non igitur quod crederent gratiam talem esse cui voluntas possit resistere.

Thesis 16.

Semipelagiani ad initium fidei, orationes, desideria, similesque actus bonos, interioras, actualisque gratiæ adiutorium necessarium statuerunt. Iansen. l. 2. de grat. Christi c. 12.

Antithesis.

Cum prioribus opusculis nostris satis idoneis testimonij egismus donum Dei esse fidem, in ventum est quod contradiceretur, ad hoc valere illa testimonia ut ostendat donum Dei esse incrementum fidei, initium vero fidei quo in Christum primus

C

cre-

18

creditur, ab homine esse, nec esse donum Dei, quod videtis quam absurdum sit, propter quod in statim quantum potius, ut etiam initium fidei donum Dei esse ostendemus. August. l. i. de Prædict. Sanct. c. vlt.
Semipelagiani dicebant initium fidei esse à nobis, neque esse donum Dei, ergo ad illud non requirebant auxilium actualis & interna gratia.

Thesis 17.

DE LIBERO ARBITRIO.

Augustino, discipulis, & posteris eius definitio illa liberi arbitrij, quæ nunc Scholastici quidam id esse volunt, quod positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere vel non agere, ad multa secula fuit ignorissima. Iansen. l. 8. de grat. Ch. c. 9.

Antithesis.

Quidigitur aliud querimus quandoquidem hanc dicimus potestatem ybi voluntati adiacet facultas faciendi, unde hoc quisque habere in potestate dicitur, quod si vult facit, si non vult non facit. August. l. de Spir. & lit. c. 31.

Liberum arbitrium esse illud quo positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, & liberum arbitrium esse illud quo quisque id habet in potestate quod si vult facit, si non vult non facit, sunt fere synonima, ergo prima definitio liberi arbitrij non fuit Augustino ignorissima.

Thesis 18.

Ex his quæ hactenus differimus satis patuit non aliud esse liberum generaliter juxta doctrinam Sancti Augustini, quam quod est in nostra potestate, & nihil ei repugnare nisi quod fit cum noluimus, hoc est necessitatis illius prementis cogentisque violentiam, Iansen. l. 6. de grat. Ch. c. 12.

Antithesis.

Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent, si denique ijs abstinenti ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possunt. August. l. de duabus animab. c. 12.

Ex Augustino tria impedit libertatem & peccatum. Natura seu necessitas faciendi. Carentia indifferentia ad faciendum vel non faciendum. Carentia potestatis abstinendi ab opere: ergo non sola coactio & violentia repugnat libertati.

Thesis 19.

Nulla necessitas actibus voluntatis liberis reformidanda est, sed sola vis, coactio, & violentia. Iansen. lib. 8. c. 19. de grat. Ch.

Antithesis.

Si natura aut necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullo modo potest. August. lib. 3. de lib. arb. c. 1.

Natura & necessitas impedit ne motus sit culpabilis. Ergo non sola coactio & violentia reformidanda est actibus liberis.

Thesis 20.

Ad merendum vel demerendum non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Thesis ex Iansen.

Antithesis.

Vides in his verbis confirmatum esse etiam à nesciente quid loqueretur liberum arbitrium, qui enim servare legem non vult, in potestate eius est si velit; non enim dicit non potuerint, sed noluerint, &c. Hoc ergo quod in eorum voluntate est ut nolint, peccatum est, certe sine aliquâ necessitate gentis tenebrarum; & inde vides unde veni-

29

ant omnes culpas, unde merita culparum, unde distributiones pœnarum. August. lib. 2. de actis cum Felice Manich. c. 5.

Possit velle servare legem, & posse non velle, est fundamentum unde veniunt omnes culpe, & merita pœnarum, & priorum. Ergo requiritur libertas indifferentia, nec sufficit libertas à coactione.

Thesis 21.

Cum arbitrio in utramque partem libero & flexibili conditus est Angelus & primus homo... Et postea addit... Ex hac spontanea creatura rationalis in utramque partem liberissimæ discretione, illa æquabilis libertatis indifferentia velut bilancis æquilibrium perit, magno enim impetu voluntatis pars altera creatura rationalis sursum rata, deorsum altera præcipitata est, & justitiæ utramque persequente, ubi voluntas unius cuiusque cecidit, ibi mansit. Iansen. l. 7. de grat. Ch. c. 10.

Antithesis.

Habet unusquisque in voluntate sua aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala. August. de gestis cum Felice Manich. cap. 4.

Possit eligere bonum vel malum, est libertas contrarietas. At hac non perit ex Augustino. Ergo, &c.

Thesis 22.

CONCORDIA GRATIAE, ET LIBERI ARBITRII.

Etsanè si non est alia libertas vera, quam agendi & non agendi: sequitur operationem divinæ gratiæ ex diametro repugnare arbitrii libertati. Iansen. lib. 7. de grat. Ch. c. 14.

Antithesis.

Nempe ubi dicitur, noli hoc & noli illud. Et ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium; nemo ergo Deum cautelet in corde suo, sed sibi imputet quisque dum peccat, neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate, quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces. August. lib. de grat. & lib. arb. c. 2.

Possit nolle hoc vel illud, est libertas contrarietas, posse facere opus bonum vel non facere, est libertas contradictionis. Huic libertati non repugnat gratia, sine qua non fieret opus bonum, nec speraretur merces. Ergo, &c.

Thesis 23.

Hinc etiam elucet, cur tantum silentium apud veteres istius exacti æquilibrii voluntatis ad agendum & non agendum, quod nonnulli tanto studio querunt; ratio quippe est, non solum quia hoc falsum est, & ab illis excogitatum quilibet arbitrij peccato violati statum, & gratiæ medicinalis operationem non satis assequuntur. Sed, &c. Iansen. lib. 8. de grat. Ch. c. 19.

Antithesis.

Si tibi proponam questionem, quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficulter soluturus es: quomodo nam attrahit, si dimittit ut quis quod voluerit eligat, & tamen utrumque verum est, sed hoc intellectu penetrare paucis valet. August. lib. 2. contra literas Petilianæ c. 84.

Ex

Ex Augustino gratia ita attrahit voluntatem, ut voluntas possit eligere quod voluerit.
Ergo Augustinus meminit aquilibrii, nec illi repugnat gratia medicinalis.

Thesis 25.

Secundi generis adiutoriorum hoc ipso quod datur, simul vsus eius & influxus potestatis datur; Est enim hoc ipsum quod suapte efficaciam facit influere facultatem, nec facultatis ipsius libero arbitraui subiacet, sed in vietate facit ut hoc vel illud arbitrium arbitretur & velit. Talis est influxus omnis causae formalis, hoc ipso quod adest justitia, sit justus animus. Iansen. lib. 2. de grat. Ch. c. 4.

Antithesis.

Credere & operari utrumque nostrum est propter arbitrium voluntatis, & utrumque datum per spiritum fidei & charitatis. August. lib. 1. Retract. c. 23.

Ex Augustino credere & operari nostrum est propter arbitrium voluntatis. Ergo pendet arbitriatu voluntatis, non tamen solo, sed cum gratia, nec influxus gratia est velut causa formalis, quia causa formalis non influit activè, nec facit influere; at gratia agit, & facit agere voluntatem.

Thesis 26.

Ex his itaque satis constat congruitatem quam Augustinus passim in scriptis suis, vocationi & suasioni adscribit, non esse nisi vocationis & suasionis externæ, hoc est extra voluntatem pergentis partes suas, proinde absonè, oborto que collo ad gratiam illam internam voluntatis trahi. Iansen. l. 2. de grat. Ch. c. 32.

Antithesis.

Quia etsi multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita vocat quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur; Et paulo post, cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo scire ei congruere ut vocantem non respuat. August. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2.

Congruitas gratia externa probat congruitatem interne, non negat; nec sola vocatio externa facere potest ut voluntas vocantem Deum non respuat. Ergo Augustinus agnoscit congruitatem gratia interna.

Thesis 27.

Vbi quod dixit gratia Dei semper est bona, non aliud habet sensum, nisi quod hominem semper efficiat bonum, & consequenter semper congrua sit, & congrue moveat voluntatem, nimis quia semper voluntarem determinat ad influendum secum, non à voluntate ad influendum determinatur. Iansen. l. 2. de grat. Ch. c. 32.

Antithesis.

Si duo æqualiter affecta animo & corpore, videant unius corporis pulchritudinem quam visu eorum ad illicet perfruendum moveatur, alter in voluntate purificans perseveret... Et paulo post... Si eadem tentatione ambo tententur, & ei unus cedat atque consentiat, alter idem qui fuerat, perseveret, quid alius appareret nisi unum?

Qui deficit à castitate habuit gratiam sufficientem, aliqui non peccasset, nequam habuit congruam. Ergo non omnis gratia est congrua & efficax.

Thesis 28.

Nimirum quia semper voluntatem determinat ad influendum secum, non à voluntate determinatur. Iansen. lib. 2. de grat. Ch. 32. & c. 4. Dixerat talis est influxus causæ formalis, hoc ipso quod adest justitia, sit justus animus.

Antithesis.

Tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuo cum

cum dixisset, gratia eius in me vacua non fuit, subiunxit, non ego autem, sed gratia Dei mecum, id est non solus, sed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. August. de grat. & lib. arb. c. 5.

Ex Augustino nec sola voluntas, nec sola gratia. Ergo determinatio voluntatis est ab utraque.

Causa formalis non influit activè, nec facit influere. At gratia influit & facit influere. Ergo influxus gratia non est velut causa formalis.

*Thesis 29.**DE P E C C A T I S.*

Hinc liquet definitionem peccati, quæ dicitur voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere, de peccato primi hominis, seu quod honesta peccata, intelligendam esse. Iansen. lib. 4. de statu naturæ lapsi cap. 20.

Antithesis.

Cum igitur & illa fateamur in hominibus esse peccata, quæ committuntur non necessitate, sed voluntate, quæ tantummodo peccata sunt, unde ab eis liberum est abstinere. August. lib. 1. op. imp. contra Julian. n. 103.

Ex Augustino etiam in hominibus lapsi sunt peccata que non necessitate, sed voluntate committuntur, & à quibus liberum est abstinere. Idem August. lib. 3. de lib. arb. c. 22. illud propriè peccarum vocat, quod liberâ voluntate committitur. Ergo hac definitio non tantum est primi peccati, sed peccati propriè dicit.

Thesis 30.

Natura humana peccato primi parentis ita violata est, & arbitrium voluntatis sub terribus rerum cupiditate ira depresso, ut libertas ad faciendum bonum, & abstinentiam à malo interiorit, & loco libertatis, peccandi necessitas consecuta sit. Iansen. lib. 4. de statu nat. lapsi. c. 18.

Antithesis.

Usque adeo peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. August. lib. 1. Retract. c. 24. Idem August. lib. de duabus animabus, quanquam si liberum non sit abstinentia, non est voluntas.

Ex Augustino non tantum primi hominis peccatum, sed quodcumque peccatum propriè dictum debet esse voluntarium, neque est voluntarium si non sit liberum abstinentia; neque est liberum abstinentia, si loco libertatis inducta est peccandi necessitas. Ergo aut non est inducta, aut nemo iam peccat.

Thesis 31.

Capitivitas liberi arbitrij in eo posita est; quod voluntas concupiscentiae terrenaæ viscera intime penetrata, semper & in omni actu, motibus eius feratur ac referatur imponit, & ponderi indesinenter serviat; eodem plane modo quo voluntas beatitudinem in omnibus omnino motibus seruit divinae charitati. Iansen. lib. 3. de grat. Christi cap. 4.

Antithesis.

Quando autem dicit homo, non possum facere quod præcipitur, quoniam concupiscentia mea vincit, jam quidem de ignorantia non habet excusationem, sed nec Deum causatur in corde suo, sed malum suum cognoscit, & dolet: cui tamen dicitur Apostolus Rom. 12. noli vinciri à malo, sed vincere in bono malum; & utique cui dicitur, noli

noli vinci, arbitrium sine dubio voluntatis convenitur, velle enim & nolle propriæ voluntatis est. August. de grat. & lib. arb. c.3.

Illa voluntas cui Apostolus dicit, noli vinci, & cuius est velle & nolle, non rapitur pondere concupiscentia eo modo quo voluntas beatorum, &c. At ex Augustino, &c.

Thefis 32.

Hæc est necessitas quam Augustinus peccato advectam profitetur, quod liberum arbitrium ita terrenarum rerum cupiditate captivum sit, antequam fide creatoris, charitateque liberetur, vt quocunque se verterit, in genere necessitate illud male agere. Sic tamen ut in singulari nullum peccatum ita necessario perpetret, quin ab illo possit abstineri, sed abstineendo in aliud incidit, quod similiter aliud faciendo cadere posset. Iansen. lib. 4. de statu nat. l.aps. c.19.

Antithesis.

Quid opus est queri unde iste motus existat, cum non nisi animi, & voluntarij sit. Ut ob hoc culpabilem esse fateamur, omnisque ea de re disciplina utilis ad id valeat, ut ex motu improbato atque prohibito, voluntatem nostram ad perficiendum semper bono à lapsu temporalium convertamus. August. lib. 1. retract. c.9. & lib. 3. delib. arb. c.3.

Ea voluntas non peccat necessario, etiam in genere, qua potest improbare motum culpabilem, & se ad bonum sempiternum convergere; at voluntas potest adiuta gratia sufficiere, quæ non defert etiam ante fidem & charitatem. Ergo non necessario peccat.

Thefis 33.

Ita inducta est peccandi necessitas, ut in omni actu quo legem videtur, vel servare, vel transgredi, reus alicuius peccati teneatur. Iansen. lib. 4. de statu nat. l.aps. cap. 18.

Antithesis.

Quod vero à Venerabili Presbytero Hieronymo dictum est, liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad virtutem necessitate trahimur, alioqui ubi necessitas, nec corona; quis non toto corde suscipiat?

Non est inducta peccandi necessitas, si ad virtutem necessitate non trahimur. At ex Hieronymo & Augustino non trahimur necessitate, &c.

Thefis 34.

Motus concupiscentia sive frangentur, sive relaxentur, ita manifestè sunt mali, ut insaniæ sit contrarium velle sustinere, ex quo sequitur eos non posse esse naturaliter bonus, nec uno modo à Deo creante puram naturam conferri posse creature. Iansen. lib. 2. de statu nat. pur. c.14.

Antithesis.

Maneat concupiscentia in certamine quo corpus nostrum castigamus, & servituti subiectius; vel ad vsus licitos & necessarios relaxanda, vel continentia cohibenda. August. lib. 2. de peccat. meritis & remiss. c. vlt.

Illi motus non sunt mali absoluē, qui ad usus licitos relaxari possunt. At ex Augustino relaxantur. Ergo &c.

Thefis 35.

IGNORANTIA.

Ignorantia etiam quæ necessitatise est, non voluntatis, hoc est invincibilis, non caret peccato. Iansen. lib. 2. de statu nat. l.aps. c.2. & c.4.

Antith-

ANTITHESIS.

Non tibi imputatur ad culpam quod in vitiis ignoras; sed quod negligis querere quod ignoras, neque illud quod vulnerata membraria non colligis, sed quod volentem sanare contemnis. Ipsa proprie pectata tua sunt. Et mox addit. Nam illud quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Et mox. Sic non volum illud dicimus quod propriæ vocatur, liberæ enim voluntate, & à sciente committitur: Sed etiam illud quod de illius supplicio consequatur necesse est. August. lib. 3. de lib. arb. c.2.

Iansenius dicit ignorantiam invincibilem non carere peccato. Augustinus dicit non imputari ad culpam. Ergo antitheta dicunt, nisi Iansenius velit tantum esse peccatum imprædictum.

Thefis 36.

Pœnalis ignorantia nostra in qua nati sumus, invincibilis, & incavibilis nullo modo excusat peccatum. Iansen. l.2. de statu nat. l.aps. c.4. sub fin.

Antithesis.

An tanta fallacia est ut caveri omnino non possit, si ita est, nulla peccata sunt, quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest? August. lib. 3. de lib. arb. cap. 19. & 20.

Iansenius autem imputari ad culpam. Augustinus autem, quia enim in eo peccat quod caveri non potest. Ergo antitheses dicunt.

Thefis 37.

D E L E G E.

Hæc igitur omnia plenissimè planissimè demonstrant, nihil esse in Sancti Augustini doctrinâ fundatus, quam esse præcepta, quædam, quæ hominibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam quæ fiant possibilia. Iansen. lib. 3. de grat. Ch. c.13.

Antithesis.

Quis non clamet stultum esse præcepta ei dare, cuilibet non est quod præcipitur facere, & iniquum esse eum damnare cui non fuit potestas iussa completere: Et has inceprias, & iniquitates miseria non intelligunt se Deo adscribere. August. de fide contra Manich. c.10.

Iansenius dicit esse quadam præcepta impossibilia secundum præsentes vires. Augustinus dicit stultum esse præcepta ei dare, cuilibet non est liberum quod præcipitur facere. Ergo opposita dicunt.

Thefis 38.

Deesse quoque gratiam quæ fiant possibilia, Iansen. loco mox citato.

Antithesis.

Pe. hanc gratiam sit ut ipsa voluntas quæ jam esse coepit, augatur, & tam magna fiat ut possit implere omnia mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit; ad hoc enim valet quod scriptum est, si volueris conservabis mandata; ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implendā mandata. August. de grat. & lib. arb. cap. 15.

Iansenius dicit deesse gratiam quæ fiant possibilia. Augustinus dicit voluntatem aut habere.

²⁴
habere semper gratiam ut impleat, aut posse orare ut habeat. At non potest orare nisi per gratiam sufficientem. Ergo aut voluntas habet semper gratiam, aut efficacem ut impleat, aut sufficientem ut petat efficacem.

Thesis 39.

Hæc impotentia servandi præcepta, non solum in obduratis & excætatis & infidelibus reperiuntur, sed etiam fidelibus & iustis qui Christi fidem & charitatem suscepunt... Et paulo post... Hæc impossibilitas fidelibus accidit, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt. Iansen. lib. 3. de grat. Ch. c. 15.

Antithesis.

Qui enim servare legem non vult, in potestate eius est si velit; non enim dixit non potuerunt, sed noluerunt: hoc certè quod nolunt servare legem, non à gente tenebrarum coguntur: Si enim coguntur, non nolunt, sed non possunt. Si autem nolunt, non utique coguntur ut non faciant, sed suâ voluntate nolunt. August. lib. 2. de actis cum Felice Manichæo. c. 17.

Non posse servare præcepta etiam cum volumus, & habere in potestate servare etiam cum nolumus, sunt antithesis, primum dicit Iansenius, secundum Augustinus. Ergo, &c.

Thesis 40.

Impossibilitas servandi præcepta, orta ex negatione auxilij sufficientis & necessarij, non excusat à peccato. Iansen. lib. 3. de grat. Christi c. 15.

Antithesis.

Modo aures tuæ positiæ sunt inter monentem Deum, & suggesterentem serpentinam; quare huc flectuntur, huc avertuntur? non cessat Satanas suadere malum, sed nec Deus cessat admonere bonum. August. in Psalmum 21.

Hac impossibilitas non potest oriiri ex negatione auxilij sufficientis, si Deus non cessat admonere bonum quoties demon suggestit malum; quia non admonet, nisi dando auxilium sufficientis. Ergo datur ex Augustino gratia sufficientis.

Secundo idcirco Augustinus increpat peccantem, quia audire marvult demonem suggesterentem malum, quam Deum admonentem bonum. At non esset ratio increpandi, si non posset facere bonum; non posset autem, sine gare gratia sufficientis.

Thesis 41.

Augustinus docet, quia uadum cupiditatum tentationes aliquorum hominum vires superare; ita ut eas vincere non possiat, & tamen peccare dum consentiunt. Iansen. lib. 3. de grat. Ch. c. 13.

Antithesis.

Vt autem ista ventur castitatis sancta mædata, vnuisque tentata à concupiscentia sua, &c. ubi si dixerit, volo servare, sed vincor à concupiscentia mea, respondet scriptura eius libero arbitrio, noli vinci à malo, sed vince in bono malum. August. lib. de grat. & lib. arbit. c. 4. Idem August. de nat. & grat. c. 66. Quæcumque est ista causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ceditur; si autem potest, non ei cedatur. & non peccabitur. An forte fallit incautum, ergo caveat ne fallatur. Anteancilla fallacia est, vt caveri omnino non possit: si ita est, nulla ergo peccata sunt.

Primus locus probat nullam esse tentationem qua superari non possit. Secundus locus probat non peccari, si non possit ei resisti: utrumque Iansenio antithetur est.

Thesis 42.

O P E R A I N F I D E L I V M.

Omaia infidelium opera, quantumcunque speciosa, & ex philosophica virtute

²⁵
rate profecta videantur, sunt vera & propriæ dicta peccata. Iansen. lib. 2. de grat. Christi c. 5.

Antithesis.

Si autem qui naturaliter quæ legis sunt faciunt, non sunt habendi in numero eorum quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius quorum etiam impiorum, nec Deum veraciter justusque colentium, quædam tamen vellegimus, vel novimus, vel audiimus, quæ secundum justitiae regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò, recteque laudamus. August. lib. de spir. & lit. c. 27.

Quæ vituperare non possumus, & quæ merito recteque laudamus, non sunt peccata propriæ dicta. At ex Augustino recteque laudamus quædam opera infidelium. Ergo non omnia eorum opera, sunt vera, & propriæ dicta peccata.

Thesis 43.

Quamobrem interpretationem vel potius eversionem doctrinæ Sancti Augustini, non ex eius lucubrationibus, sed ex ingenij sui viribus excogitarunt, qui dicunt juxta Augustinum periisse libertatem ad bonum, nempe pietatis & religionis, non moralis honestatis, Iansen. lib. 4. de statu nat. lap. c. 18.

Antithesis.

Nam & ipsi homines erant (loquitur de infidelibus) & vis illa naturæ inerat eis, quæ legitimum aliquid natura & sentit, & facit; sed pietas quæ in aliam vitam transfert, beatam & æternam legem habet immaculatam. August. lib. de spir. & lit. c. 27.

Si infidelibus inest vis illa quæ naturæ legitimum aliquid & sentit & facit, non periret libertas ad bonum morale. At ex Augustino inest. Ergo, &c.

Thesis 44.

Nugæ, delirium, insania, impietas, quod infidelium illa opera sint sine peccato. Iansen. lib. 4. de statu nat. lap. c. 17.

Antithesis.

Sicut enim non impediunt à vita æternâ justum quædam peccata, venialia, sine quibus hac vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil profundit impio aliqua bona opera, sine quibus difficultè vita cuiuslibet pessimi hominis invenitur. August. lib. de spir. & lit. c. 27.

Iansenius ait nulla opera infidelium esse sine peccato. Augustinus quædam infidelium opera esse bona. Ergo sibi opponuntur.

Thesis 45.

Sola absentia fidei sufficit ut omnia opera infidelium sint peccata. Iansen. l. 4. de statu nat. lap. c. 3. Est titulus capituli.

Antithesis.

Polemico, si ex luxurioso continens factus, ita sciret cuius esset hoc donum, vt eum abiectis superstitionibus gentium piè coleret, non solum continens, sed etiam veracriter sapiens, & salubriter religiosus existeret, quod ei non tantum ad presentis vitæ honestatem, verum etiam ad futuram immortalitatem valerer. August. epist. 130.

Continentia qua valer ad presentis vita honestatem, non est peccatum. Ergo non erat peccatum.

Polemonis etiam infidelis valebat ad presentis vita honestatem. Ergo non erat peccatum.

Thesis 46.

Icaque in hic quæstione indubitate existimamus illam sententiam Augustini & discipolorum eius, nullum videlicet opus bonum, ne quidem moraliter ab humano arbitrio fieri posse, nisi per gratiam, non quamlibet, sed fidei liberetur. Iansen. lib. 3. de statu nat. lap. c. 19.

D

Antithe-

Antithesis.

Feramus eos, si corrigerem non possumus, qui vitiis impunitis nolunt stare Rem publicam quam Romani constituerunt, auxeruntque virtutibus; et si non habentes veram pietatem erga Deum verum, quæ illos etiam in eternam civitatem posset salubri religione perducere, custodientes tamen quandam sui generis probitatem, qua posset civitati constituenda, augenda, conservanda que sufficere. Deus sic ostendit in opulentissimo & præclaro Imperio Romanorum, quantum valerent civiles etiam sine vera religione virtutes, ut intelligeretur hæc additâ fieri homines cives alterius civitatis, cuius rex, veritas; cuius lex, charitas; cuius modus, æternitas. August., epist. 5. ad. Marcellin.

Ille actiones sunt moraliter bona que compensantur imperio orbis terrarum, & quibus si addatur vera religio, ex actionibus moralibus transiunt in actiones Christianas. At actiones & virtutes Romanorum erant tales ex Augustino. Ergo, &c.

Thesis. 47:

OPERA FIDEI LIVM.

Iuxta principium Augustini, quod immobiliter vbiique docet, nullum omnino fieri potest opus bonum, hoc est sine peccato, nisi ad finem in quem referri vera sapientia præcepit, hoc est in Deum propter se dilectum referatur; alioqui neque recte fit, neque bonum opus est, sed veri peccati contaminatione pollutum. Iansen. lib. 3. de statu nat. l. ap. c. 17.

Antithesis.

Neque prudentia, nec fortitudine, nec temperantia male quis vititur, in his enim omnibus, sicut in ipsa etiam quam cu commemorasti justitia, recta ratio viget, sine qua virtutes esse non possunt. At recta ratione male vti nemo potest. August. lib. 2. de libero arbitrio c. 18.

Actus in quibus recta ratio viget, non sunt peccata, quia nemo vititur male recta ratione, ut in attributis prudentia, fortitudinis, temperantia & iustitia recta ratio viget, licet non referantur duci in Deum propter se dilectum, modo sint referibiles. Ergo non sunt peccata.

Thesis. 48.

A M O R.

Cum Augustino dicimus, nullum omnino rei creatæ affectum amoris: tribui posse, & si tribuatur sine dubitatione peccari. Iansen. lib. 2. de statu nat. l. ap. c. 12.

Antithesis.

Malos amores detestantur omnes leges humanæ, & leges divinae. Remove ergo amores illicitos, queramus licitos; incipit amor licitus à coniugio, sed adhuc carnalis. Et secundus, amor filiorum, sed adhuc carnalis, non enim laudans est qui amat filios, sed detestans, qui non amat. . . . Et mox . . . alius amor est propinquorum; jam iste videtur proprius hominum, si non sit consuetudinis. August. lib. 50. homil. 38.

Ille affectus amoris non est peccatum, qui est licitus, honestus, & proprius hominis; sed amor qui tribuitur coniugi, liberis, & propinquis, est talis ex Augustino. Ergo, &c.

Thesis. 49.

T I M O R.

Quod vero propositum emendationis, aut bene vivendi ex timore poenarum

concipi posse dicunt, principiis Augustini solidissimis, quibus Pelagianæ hæresis expugnata est, directè refragatur. Iansen. lib. 3. de grat. Ch. c. 33.

Antithesis.

Alius non in hac terra pati timet, sed gehennam timet, vnde terrat & Dominus, audistis cum Evangelium legeretur, ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extingueretur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt, impij timent, & continent se à peccato, timent quidem, sed non amant justitiam; cum autem per timorem continent se à peccato, sit consuetudo justitiae, &c. August. in Psal. 127.

Audire minas gehenna, timere, & continere se à peccato, est propositum emendationis concipi ex timore poenarum. At id si ex Augustino, non ex Iansenio. Ergo opposita sentiunt.

Thesis. 50.

Quidquid tandem Doctores recentiores dicant, in Augustini doctrinâ præceptum sine verâ justitiâ præcepit, seu dilectione Dei impleris non potest. Iansen. lib. 5. de grat. Ch. c. 30.

Antithesis.

Ille autem timor nondum castus præsentiam Domini, & penas timet, timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patienti illud malum: nec timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam: bonus iste timor, & utilis est. August. in Psal. 127.

Facere bonum est implere præceptum. At ex Augustino fieri potest bonum non timore amittendi bonum, & amplexus sponsi, sed timore gehenna. Ergo impleri potest præceptum ex timore.

Thesis. 51.

Quæ omnia, in quantum arbitrör, declarant doctrinam istam, quam Scholastici quidam laudant de dolore peccatorum ex solo gehennæ meru, non solum Augustini principiis fundarissimis, & per omnes eius lucubrations diffisis ex diametro repugnare, sed etiam à Synodi Tridentinæ Patribus multis modis proscriptam esse. Iansen. lib. 5. de grat. Ch. c. 34.

Antithesis.

Si ergo salubriter non solum bonitatem, verum etiam severitatem Dei sancta scriptura commendat, quoniam & amatur Deus viriliter & timetur, vnde Apostolus eodem loco vtrumque commendat dicens, vide ergo bohitatem & severitatem Dei. Quid est quod iste insanus & præcepis, cum Christianum se esse jaaster, hoc reprehendit in Deo Prophetarum, quod in Deo invenit Apostolorum. August. contra adversarios legis & Prophetarum lib. 1. c. 16. Si quis dixerit gehennæ merum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo configimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, vel peccatores facere, anathema sit. Concil. Trid. Sess. 6. c. 8.

Augustinus & Patres Tridentini laudant metum gehenna; ergo male Iansenius cum metum damnat.

Thesis. 52.

AT TRITIO.

Sed maiori fortasse admiratione dignum est quod iidem docent, dolorem quo quis de peccatis ex solo timore penarum infernalium dolet, eaque detestatur, quam attritionem vocant, esse sufficientem dispositionem ad justificationem in Sacramento Pœnitentiae, & Baptismi recipiendam, Iansen. l. 5. de g. Ch. c. 33.

Antithesis.

Quamvis attritio ex gehennæ & pœnarum metu concepta, sine Sacramento Pœnitentiaz, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiaz imperrandam disponit: hoc enim timore utiliter & misericordiam à Domino impearant. Conc. Trid. Sess. 14. c. 4.

Non esse sufficientem dispositionem, & esse, sunt antitheta. Primum affirmat Iansenius, secundum assertit sancta Synodus Tridentina. Ergo, &c.

*Thesis 53.**AN DEVS VELIT OMNES SALVOS FIERI,*

Non potest statui quod recentiores plerique solent, voluntas quædam generalis, quâ Deus velit omnes homines in damnatione primi hominis positos, salvos fieri. Iansen. lib. 10. de grat. Christi c. 2.

Antithesis.

Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire? non sic tamen ut illis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male vtentes justissime judicentur. August. lib. 3. de spir. & lit. c. 33.

Iansenius ait non posse statui voluntatem quâ Deus velit omnes salvos fieri. Augustinus ait Deum velle omnes salvos fieri. Ergo dicunt opposita.

Thesis 54.

Augustinus in scriptis suis universis, talem voluntatem quâ Deus velit omnes salvos fieri, nunquam ab initio conversionis usque ad vitæ terminum agnovit, sed semper constanter impugnavit, illumque Apostoli locum, Deus vult omnes salvos fieri, de efficaci voluntate quam circa Prædestinatos habet, semper explicuit. Iansen. lib. 10. de grat. Christi c. 2.

Antithesis.

Potest etiam hic locus intelligi quod omnes Deus homines vult salvos fieri, quoniam nos facit velle. August. lib. de corp. & grat. c. 15.

Qui medium aliquid ad finem prudenter adhibet, ille intendit etiam finem. At Deus inspirat voluntatem salutis omnium; ergo intendit omnium salutem. Et licet Augustinus alias expositiones huius loci afferat, non damnat communem; neque excludit voluntatem generalem de salute omnium, dum commendat peculiarem amorem erga prædestinatos; neque negat gratiam sufficientem dari omnibus, dum ait gratiam efficacem, & perseverantiam finalem dari electis.

*Thesis 55.**AN CHRISTVS MORTVVS SIT PRO OMNIBVS.*

Nec enim pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem suum fudit. Iansen. lib. 3. de grat. Ch. c. 21.

Antithesis.

Vnus, inquit Apostolus, pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, ostendens fieri non posse ut moreretur nisi pro mortuis; ex hoc enim probavit omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est vnus; impingo, inculco, infercio recuse voluit ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. August. lib. 6. contra Julian. c. 4. & 9.

Contra-

Consequens non debet latius patere quam antecedens; at ex Augustino Apostolus probat omnes omnino mortuos, quia pro omnibus mortuus est. Ergo pro omnibus omnino est mortuus. Conclusio Apostoli in vita manet.

Thesis 56.

Nec in universis Augustini operibus, nisi fallor, locus est, vbi doceat Christum pro peccatis infidelium & in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro illis se dedisse redēptionem. Iansen. lib. 3. de grat. Ch. c. 21.

Antithesis.

Vnus pro omnibus mortuus est, Iuliane, non hoc Augustinus, sed Apostolus dixit... Et mox... Srenim ob vius delictum multi mortui sunt: multi quippe sunt omnes de quibus alio loco dicit, sicut in Adam omnes morientur; & ibi videbis parvulos, quia & pro ipfis te confitente mortuus est Christus: continuo quod necessario queretur ostendit dicens, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est. August. lib. 2. operis imperfecti c. 128.

Ex Augustino & Apostolo Christus mortuus est pro omnibus qui in Adamo mortui sunt. At infideles mortui sunt in Adamo, ergo Christus pro illis est mortuus.

Ex eo loco Apostoli & Augustini explicare potes illum locum qui soler obijci, qui pro vobis & pro multis effundetur.

Thesis 57.

Cui Christi sanguis nullo modo prodest, pro eo nec sanguinem suum fudit, nec pro eo mortuus est. Iansen. lib. 15. de grat. Ch. c. 21.

Antithesis.

Præclarri Prædicatores! sic predicatis Iesum, ut negaretis parvolorum esse Iesum, nolite Salvatorem non salvis pueris in videre. August. lib. 1. op. imp. in Julian. c. 30.

Sanguis Christi non prodest actu & immediate parvulis non baptizatis, & tamen Christus pro iis mortuus est. Ergo male Iansenius, &c.

Thesis 58.

Et ne quis forte suspicaretur ita phrases huiusmodi affirmativas de Prædestinatis intelligendas esse, ut tamen alij justi qui de beato illo numero non sunt, non excludantur, non uno in loco invertit istiusmodi locutiones, ita ut eas negatiè offerendo dicat, pro cæteris qui non fuerint Prædestinati non esse morturum, non orasse, non semetipsum dedisse redēptionem. Iansen. lib. 3. de grat. Ch. c. 21.

Antithesis.

An ignoratis quoniam quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et mox... audite, quicunque baptizati sumus, neque enim parvuli & non maiores, aut vero maiores & non parvuli, sed quicunque id est sive parvuli, sive maiores baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus. August. lib. 2. op. imp. contra Julian. c. 222.

Plures sunt baptizati, quam prædestinati. Christus mortuus est pro omnibus baptizatis. Ergo pro pluribus quam pro solis prædestinatis.

*Thesis 59.**PER SE VERANTIA.*

Perseverantia & merita in statu innocentiaz non fuerunt Dei dona. Iansen. de grat. primi hominis, c. 16. Est titulus capituli.

Antithesis.

Non ergo Adamus habuit in illo-bono perseverantiam, & si non habuit, non ylique

³⁰
utique accepit, quomodo enim & accepisset, & non perseveraveret. August. de cor-
rept. & grat. cap. 10.

Si non habuit non utique accepit. Ergo Augustinus supponit non potuisse habere nisi
aceperam; Ergo supponit esse donum Dei.

Thesis 60.

Quorum utramque quia lapsu hominis primæ va illa corrupte sublatum est,
hinc etiam à viribus arbitrij nostri tanta illa bene vivendi & perseverandi potestas avo-
layit. Iansen. de grat. primi hom. c. 9.

Antithesis.

Iustior videtur excusatio dicentium non accepimus audientiam, quam dicen-
tium non accepimus perseverantiam: quoniam dici potest, homo, in eo quod audieras
& tenueras, perseverares si velles. Nullo autem modo dici potest, id quod non audi-
eras, crederes si velles. August. lib. de corrept. & grat. c. 7.

*Ea potestas non a volavit à viribus arbitrij, que commissa est libero arbitrio. At ex Au-
gustino perseverantia commissa est, quia potest perseverare si velit.*

Hic locus efficacitor probat dari gratiam sufficientem. Quia qui non perseverat, & ta-
men potest perseverare si velit, debet posse velle perseverare, at non potest velle sine aliqua gra-
tiā, neque habet gratiam efficacem, qui non perseverat, ergo habet sufficientem per quam
posset si vellet. Ergo datur gratia sufficiens ad perseverandum.

*S. D. INNOCENTII X. DECLARATIO
ET DEFINITIO precipuarum Quinque Propositionum C. Ian-
senij Irenensis Episcopi, pridie Kalend. Junij
Anno M. DC. LIII.*

Primam Propositionem: *Aliqua Del praecipita Hominibus Iustis voluntibus, & conan-
titus, secundum presentes, quos habent vires, sunt impossibiliter deest quoque illis Gratia,
qua possibilia sunt: Temerariam, Impiam, Blasphemiam, Anathematam, &
& Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

*Secundam: Interiori Gratia in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam
declaramus, & uti talem damnamus.*

*Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in
Hominis libertate à necessitate, sed sufficit libertas à Conditio: Hæreticam declaramus, &
uti talem damnamus.*

*Quartam: Semipelagianii admittebant prævocantem Gratia interioris necessitatem ad
singulos q̄stus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quid vellet eam Gratiam
talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam & Hæreticam
declaramus, & uti talem damnamus.*

*Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mor-
tuum esse, aut Sanguinem fudisse: Falsam, Temerariam, Scandolosam, & intellectam
eo tenet, vt Christus pro salute duntaxat Prædestinatōrum mortuus sit; Impiam, Blas-
phemiam, Contumeliosam, Divinæ Pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, &
uti talem damnamus.*